

spatio mirabiles & admirandos saltus faceret, ut semper tortuosus,
vagabundus, immo reciprocus motus, confuso ordine, absque o-
mni lege & proportione describeretur, ibi Cometa non est.
Sed in aere Cometa necessario brevissimo temporis spatio &c. E.
In aere Cometa non est.

§. XI. *Tertia*: Ubi Cometa non diutius duabus horis supra ho-
rizontem commorari potest, sed in tantillo temporis spatio nece-
sario oritur & occidit, ibi non est locus ejus.

Atqvi in aere Cometa non diutius duabus horis &c. E.

§. XII. *Quarta*: Ubi Cometa non potest fieri perpetuæ appa-
ritionis, ibi non est locus ejus.

Atqvi in aere Cometa non potest fieri perpetuæ apparitionis. E.

§. XIII. *Quinta*: Ubi mirum in modum tam Longitudines &
Latitudines, quam ascensiones rectæ & declinationes unâ nocte
mutarentur, sic ut nunc prope hanc, nunc prope illam, in diver-
sis cœli plagis promiscue, tum circulum parallacticum 24° . descri-
bere videretur Cometa, ibi non est locus ejus.

Atqvi in aere mirum in modum &c. E. in aere non est locus ejus.

§. XIV. *Sexto* Patet id ex Parallaxibus, quia nunquam in
Cometis talis diversitas aspectus est comprehensa, qualem in aere
referrent; posito etiam, quod non solum Cometæ supra altissimum
crepusculum, verum etiam ad 10. vel 20. milliaria Germanica eve-
hamus, nihilominus ibidem 3. 4. immo 5. grad. parallaxes haberent.
Immo licet Cometam ad Lunam usque deducamus, attamen in altitu-
dine ab Horizonte 28° . parallaxin adhuc 55¹ possedisset.

§. XV. *Septimò* tandem ratione Parallaxeos diversorum hori-
zontum nullò modò in aere hærere Cometa potest. Nam Paral-
laxis notaretur. Alia ut taceamus.

§. XVI. Alteri questioni itidem non uno modò satisfaciunt
Doctores. Nam si ad cœli Systema respicias, supra sphæram Satur-
ni infra fixas eos ponit Antonius le Grand ^{β)}). Rationem hanc dat:
Nam Cometæ tam immania sunt corpora, tantoque impetu feruntur, ut
vastum illud spatiū, ad omnes suas excursiones absolvendas requirant:
neque ad inveniri alia loca queant, quæ commodius illorum motibus in-
fervire possint.

β) *Histor. Naturalis* parte III. articul. xi. de Cometis not. marg. II. p. 129. Edi-
tionis Londinensis. Consentit cum hoc Jacobus Rohaultus *Tractatus Phy-*
sici parte II. c. xxvi. p. 469. qui Renato des Cartes hanc opinionem quo-
que tribuit.

§. XVII.